



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem
Contagiosam Aliosqve Morbos**

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Oratio pro auertenda peste.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

404 ORATIO PRO AVERTENDA PESTE

dixit Cyprianus, oportet Deum de suo orare. Dei enim in primis est quod proprio suæ carnis ore protulit. Dei deinde quod Spiritus sanctus inspirando dictauit. Debet etiam teste Tertull. oratio proficiisci ex tali spiritu qualis est spiritus ad quem emittitur.

Oratio pro auertenda peste,

Adimitationem ea-
tum pre-
cationum
quas auer-
tendis
periculis
belgicis
mortibusq;
sedandis,
composuit
Iacobus
Ianssone
anno 1622

Exaudi Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: quia multiplicatae sunt iniquitates coram te, & peccata nostra responderunt nobis. Vnusquisque in viam suam declinavit, & auersi sumus neminem post tergum Dei nostri: ideo apprehenderunt nos haec mala vniuersa. Attende de cœlo & vide de habitaculo sancto tuo & gloriæ tuæ. Ecce manus tua super agros nostros, & super nos ipsos pestis grauis valde: mortibus & grotationum moriuntur grandes & parui in terra nostra; non sepeliuntur neque planguntur, sed super faciem terræ in sterquilinium manent. Ne irascaris Domine satis, neque ultra memineris iniquitatis nostræ; sed dic angelo percutienti. Sufficit: nunc contine manum tuam, nam ciuitates nostræ factæ sunt desertæ, factæ sunt in exustionem ignis. Numquid non populus tuus omnes nos? ubi est multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum? Conuertere Domine aliquantulum, & conuerte manum tuam & gladium tuum in vaginam. Si autem iniquitates nostræ responderint nobis, Domine fac propter nomen tuum; neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac propter temetipsum Deus noster, quia nomen tuum inuocatum est super nos. Numquid usque ad internectionem desuet

ORATIO PRO AVERTENDA PESTE. 405

desauiet mucro tuus? ecce peruenit gladius vsque ad animam, & abbreviata aut paruula facta est manus tua, vt non possis redimere, aut non est in te virtus ad liberandum? numquid medicus non est in Galaaad, aut resina non est ibi? Numquid proisciens abiecisti Iudam aut Sion abominate est anima tua? quare ergo percussisti nos vt nulla sit sanitas? quare dolor meus factus est perpetuus & insanabilis plaga mea? Conuertimini filij reuertentes & sanabo auersiones vestras. Venite reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit & sanabit nos, percutiet & curabit nos. Ecce nos venimus ad te. tu enim es Dominus Deus noster, qui percutis & manus tuæ sanabunt, mortificas & viuificas, deducis ad inferos & reducis. Conuertere Domine properter seruos tuos, tribum hereditatis tuæ, & saluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ. Ecce tu iratus es & peccauimus tibi: sed cum iratus fueris misericordiæ recordaberis. Quiescat ergo ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui, quia facis misericordiam in millia his qui diligunt te & custodiunt præcepta tua. Peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus; sed numquid voluntatis tuæ est mors nostra, & non magis vt conuertamur & viuatnus? Conuerte nos ergo ad te, & conuertemur, quia neque herba neque malagma sanabit nos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. Sana nos Domine, & sanabimur; saluos nos fac & salvi erimus. Miserere nostri Domine, quoniam infirmi sumus: sana nos Domine, quoniam conturbata sunt ossa nostra. Recordare Abraham, Isaac & Iacob, omniumque seruorum tuorum fidelium, & secundum magnitudinem brachij tui posside filios mortificatorum, tu cuius misericordia à progenie in progenies timentibus te, ne forte venias & percutias terram anathemate, qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Ecc 3

VOTVM